



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Benedictus Redivivus Hoc est: Benedictinij Ordinis  
Vetustißimi Amplißimique, Nostra, ac supera ætate  
Jmmarcescibilis Vigor, ac Viror**

**Bucelin, Gabriel**

**[Veldkirch], Anno Christi. M.DC.LXXIX.**

Jesu Christi Annus. M.D.L. Sancti Patris Benedicti. M.LXX.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-38498**

Ab Aula  
absolvi sol-  
licite urget.

losius sub cœlo esse distinctissimè ob-  
servavit; nec in Regum solummodò  
virorum manuuctione, sed in Regi-  
narum quoque validè persuadentium  
& persuasuram directione, ac prop-  
terea enixissimis à Regina precibus im-  
petravit, & ab Episcopali absolvi mu-  
nere, & ne deinceps Reginam audire  
cogeretur, ab Aula dimitti.

Paulus  
Neccarus  
Abb. Urfsi-  
nensis.

In superiore Germania inter plu-  
timos rei Catholicæ strenuè satagen-  
tes Prælatos, multis se meritis com-  
mendat Paulus Neccarus Patriciâ No-  
bilitate vir, Abbas Ursinensis & insi-  
gni non minus pietate quàm erudi-  
tione, & quæ in magnis requiras, singu-  
lari liberalitate & morum gravitate.

Fuit strenuus & disciplinæ pro-  
motor & studiorum, assèverare solit-  
us: *Monachum sine libris & lectione, esse  
militem sine armis, & armorum exercita-  
tione.* Hic in circumjacente provincia  
plurimum laboravit, ne Kauffburæ in-  
valefcens Hæreseos venenum latius ser-  
peret, multòsq; retinuit jam in præ-  
ceps agendòs. *Ex monim. Monast. ejus-  
dem.*

JESU CHRISTI ANNUS. M. D. L.  
Sancti Patris Benedicti. M. LXX.

Petrus Ar-  
chiep. Bi-  
sunt. S. R.  
E. Cardi-  
nalis.

Iterum Galliarum Regna floren-  
tissimis prægnantia lilijs, cœlum  
terrasque mirâ recreant fragrantia. Ex  
his Illustrissimus vir Petrus de Baulme,  
ex Monacho Sancti Claudij Episcopus  
Genevensis, inde Archiepiscopus Bi-  
suntinensis, demum Eminentissimus  
sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalis  
Titulo Pammachij sanctorum Joan-  
nis & Pauli, Filius Guidonis de la Bau-  
me, & Henrietta de Longovico, Prin-  
ceps optimus, & qui ob injurias gravis-  
simas, & damna ab Hæreticis Genevé-  
sibus illata, & generosissimè tolerata,  
nec non tristissimum exilium, inter  
Martyres merito censerit debeat, Com-  
mendavit se deinceps insigni vitæ ex-  
emplo Bisuntio & toti Burgundiæ, nec  
minus Romæ, cum inter purpuratos  
Patres bis Eminentissimus & virtute,  
& eruditione esset, inter firmiora sua  
ætatis columina celebrandus.

Martyrum  
compar.

V. Cypria-  
nus Nuca-  
lensis Phœ-  
nix Hisp-

Sed ne Hispania Gallijs viderentur  
cedere, ibi se quoque insignia Ordinis  
luminaria prodidit, è quibus Cy-  
prianus de la Huerga, Nucalensis Cæ-  
nobij longè felicissimi, & sanctorum

virorum prænantissimi, splendidis-  
simè enituit, Doctor & Complutensis  
Collegij Rector, tantâ vir eruditione,  
ut Manrique, ipsum *Hispaniæ Phœnicem*,  
appellare non dubitaverit, qui statim  
ut gradum Doctoratûs meruit, sacro-  
rum Bibliorum cathedram meruit.  
Extant præclara ejus Commentaria in  
varios sacre scripturæ libros. Quo ip-  
so tempore etiam Christophorus de  
Castilicis floruit, qui ex Monacho Val-  
lis Ecclesiarum, ad secretiora & intima  
Ferdinandi Regis, ac dein Casaris  
admissus consilia, de eodem multo  
nomine meruit, de quo plura suo loco.

Celebrantur hoc ipso etiam anno  
plurimi ex Ordine nostro viri eruditi:  
è quibus effulsit clarissimus, editisque  
ingenij monumentis celebrer Benedi-  
ctus Canophilus Sanguinus Casinensis  
Monachus U. J. D. cujus celebrantur  
maximè sequentes libri

*De Foro Fori & Foro Poli* Liber I.  
*Repertorium Juris Civilis* Liber I.  
*Multa in Jure Canonico* Liber I.  
*Summa Rerum* Lib. I. & plura alia

Neque minore commendatione  
dignus Miniatus Pittas Nobilis Floren-  
tinus Monachus & Abbas S. Miniati  
Florentiæ, Mathematicus præstantis-  
simus, qui plura, maximè in Mathe-  
maticis, ingenij reliquit monumenta,  
& *librum insignem de nominibus antiquis  
& recentioribus omnium civitatum, &  
Regnorum totius Orbis.*

In Germaniâ inferiori, famâ no-  
minis Illustrissimi & familiæ celebra-  
tur Illustrissimus & Reverendissimus  
Dominus F. Carolus de Croij Comes  
Proceanus Henrici & Catharinæ Cha-  
stauriantia filius Philippi Ducis Ar-  
schottani frater germanus, ex Mona-  
cho Afflighemiensî, loci ejusdem Ab-  
bas, inde etiam Altimontensi, tum &  
S. Gisleni Cænobio prælatus, demum  
Tornacensis creatus Episcopus, cucul-  
li in tanto honore amantissimus & re-  
verentissimus, & Cænobij maximè Gis-  
leniani, in quo etiam mortalitatem  
exiit, & sibi sepulchrum elegit.

JESU CHRISTI ANNUS. M. D. LI.  
Sancti Patris Benedicti. M. LXXI.

Inter tumultus, fluctus, nebulas &  
tenebras Germaniæ obscurissimas,  
emicantibus hinc & inde luminibus  
solida cum pietatis, tum eruditionis,  
ut partim jam vidimus, partim deinceps

Benedictus  
Canophi-  
lus.

Miniatus  
Pittas.

Carolus C.  
de Croij ab-  
bas Afflig-  
hemij &c.